



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus VIII. De Foro Competenti. Vias evitandi molestias litis insinuat

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](#)

90      *Sect. I. Tit. VIII.*

in præsentia sua tractet causam per  
seipsum 45.).

TITULUS VIII.  
DE FORO COMPETENTI.

*Conf. Lib. II. Decretal. In Sext. § in  
Clement. tit. 2. Item Lib. I. Decre-  
tal. tit. 42.*

§. 80.

*Forum  
compe-  
tens ordi-  
narium*

JUXTA communem Juris Regulam  
Actor debet sequi forum Rei: quo  
nomine intelligitur locus exercenda-  
rum litium, necessario adeundus a li-  
tigantibus. Competens dicitur, ubi Ju-  
dex est, habens Jurisdictionem in  
Reum & in Causam. Incompetens,  
ubi Judex non habet Jurisdi-  
ctionem vel in Reum, vel in Cau-  
sam coram se disceptandam. Non nun-  
quam Judex est absolute incompe-  
tens, cui partes litigantes nec vo-  
lentes se subjicere possunt: non nun-  
quam est ita incompetens, ut tamen  
partes possint ei prorogare Jurisdi-  
ctio-

---

45.) C. 8. de Procurat. in 6.

ctionem , si velint. Potest autem Ju-  
dex ipse cognoscere de sua compe-  
tentia , seu an sua sit Jurisdictio ,  
quam partes in dubium trahunt. Fo-  
rum aliud est Ecclesiasticum , aliud Se-  
culare : Externum vel Internum consci-  
entiaz : Contentiosum vel Voluntarium.  
Circa vastissimam hanc materiam lo-  
quemur I. de Foro ordinario com-  
muni. II. de Foro ordinario singula-  
ri. III. de Foro extraordinario. IV.  
de Foro respectu certarum Causarum.

§. 81. Ordinarius modus sortiendi *Sortimur*  
Forum est quadruplex. I. ratione do-  
micii. II. ratione contractus. III.  
ratione delicti. IV. ratione rei sitæ.

§. 82. Domicilium contrahitur, ubi *Ratione*  
quis habitat animo ibi perpetuo ma- *Domici-*  
nendi , nisi quid avocet : quasi *Do-* *lit :*  
micilium , ubi quis per longius tem-  
pus habitat , absque animo ibidem  
perpetuo consistendi. Ratione Do-  
micii sortitur quis forum , hoc est ,  
fit subditus quoad universam Jurisdi-  
ctionem , tam contentiosam , quam  
voluntariam ; concurritque hoc fo-  
rum cum omni alio , ita ut quis ibi  
conveniri possit etiam de contractu  
alibi inito , de crimine alibi commis-  
so , de re alibi fta , nisi oblet speci-  
ale

ale privilegium vel statutum. Eundem fere effectum quoad Judicia habet quasi domicilium , quod tamen non facit Civem in ordine ad onera, & munera publica. Forum Originis, seu Domicilii naturalis hodie non attenditur, si quis alibi fixit domicilium habitationis : sacri Ordines tamen suscipi possunt ab Episcopo originis. Vagi sortiuntur forum , ubi actu versantur.

*Contra-  
dictus:*

§. 83. Ratione Contractus conveniri quis potest coram Judice loci, in quo Contractus est celebratus, saltem si ibi reperiatur , & per aliquot dies moretur. Si pro solutione destinatus est certus quidam locus , de hac solutione in illo destinato loco agitur, modo debitor ibi inveniatur: de proprietatibus autem , qualitatibus ac solennitatibus ipsius Contractus disceptatur in loco Contractus celebrati; ubi etiam agi potest de distractu, hoc est , quando agitur ad annulationem contractus , vel quando instituitur querela non numeratae pecuniae. Absentes se sistere debent in loco Contractus , si ante abitum fuerunt præventi citatione : possetque decerni immissio Actoris in bona non com-

comparentium. De Rationibus Administrationis gestæ agitur in loco Administrationis.

§. 84. Ratione rei sitæ quilibet conveniri potest, in Possessorio & Petitorio, coram Judice loci, in quo res controversa existit; quia ibi expeditior est probatio causæ, & facilitior executio Sententiarum. Hoc intelligitur etiam de Possessore rei litigiosæ absente, qui si legitime citatus non comparet, pati debet immissionem Actoris in possessionem rei litigiosæ, reservata interim quæstione principali. Etiam res mobilis in loco rei sitæ repeti potest, saltem si stabiliter, vel notabili tempore in loco sit. Ibi autem actio tantum realis instituenda est, non vero personalis, nisi sit in rem scripta, cuiusmodi sunt actio ad exhibendum, petitio hereditatis vel legati, actio familiæ herciscundæ, actio noxalis quadrupedaria, actio quod metus causa: hæ actiones, licet personales dicantur, imitantur actiones reales in hoc, quod adversus quemcunque possessorum dentur & non solam personam, sed etiam rem ipsam persequantur. Nihilominus Forum Domicilii concurrit

*Rei sitæ:*

currit cum foro rei sitæ, nisi obstent specialia statuta. Hæc ita intelligenda sunt, ut Clerici conveniantur ratione rei sitæ coram Judice Ecclesiastico, Laici coram Judice Laico loci, in quo res sita est.

*Delicti.*

§. 85. Delinquens conveniri potest coram Judice loci, in quo deliquit, quia interest Reipublicæ, ibi puniri delicta, ubi patrata sunt. Etiam Clerici in aliena Diœcesi delinquentes ab Episcopo loci delicti coerceri possunt: etiam Religiosi Exempti in casu delicti extra Monasterium cum populi scandalo commissi, subjacent Ordinario loci, nisi a suo Superiore severe puniantur, ac de punishmente Episcopus certior fiat 46.). Comites & Principes Imperii in alieno territorio delinquentes, quoad suam personam non subjiciuntur Judici illius loci, cum Judicem immediatum habeant Imperatorem: possent tamen in facto liquido detineri, donec reparent damnum datum. Similiter Episcopus non poterit puniri ab alio Episcopo illius loci, ubi deliquit;

---

46.) Conc. Trië. sess. 25. c. 14. de Regular.

lilit; sed in causis criminalibus majoribus deferri debet ad Summum Pontificem. Si in uno loco est inchoatum, in altero consummatum delictum, locus datur præventioni inter Judices utriusque loci. Judex loci delicti delinquentem, si per alterius territorium fugiat, insequi regulariter non potest. Nihilominus passim jure vicinitaris consentiunt vicini Principes, ut latrones, viarum grassatores, pacis publicæ perturbatores, imo etiam alias delinquentes persequi liceat, modo deprehensus in alieno territorio mox Judici illius loci sistatur, atque ab eo petatur ejus detentio & remissio. Personæ autem cuidam singulariter obstrictæ ubique apprehendi possunt, milites fugitivi a belliduce, Religiosi a suo Prælato, uxor a marito. Reus ante suam absentiam a Judice loci delicti citatus, potest etiam absens citari, & contra absentem tanquam contumacem procedi ad relegationem; in foro Canonicco etiam ad suspensionem a Beneficio, vel excommunicationem 47.).

Si

---

47. } C. 8. de Dolo. C. 2. ut lite non con-  
test.

Si verus Reus ante discessum non fuit citatus , & locus commorationis sit ignotus, citari potest per edictum in territorio delicti, potestque in eo bonorum annotatio , aut etiam in ea immissio statui. Si constet , ubi sit Reus , potest Judex habitationis requiri pro remissione. An Judex loci, ubi deprehenditur reus, punire eum possit ob delictum alibi commissum, variæ sunt sententiæ Doctorum. Non apparet, ex quo jure Judex loci deprehensionis sibi arrogare possit Jurisdictionem in reum transuntem: nihilominus praxis docet , quod pas- sim id fiat.

*Clerici  
codem  
modo for-  
tiuntur  
forum,*

§. 86. Doctrina quadruplici modo sortiendi forum , tangit etiam Clericos , ita tamen , ut conveniendi sint in loco domicilii , contractus, rei sitæ, vel delicti , non quidem coram Judice Laico, sed Ecclesiastico ejusdem loci. Habent igitur Forum singularē: multi nolunt illud dicere Privilegium , cum non ex privilegio, sed ex qualitate propriæ personæ Clerici non subjaceant Judici Laico. Exempti possunt dici in eo tantum sensu , quod ante ordinationem fuissent Jurisdictioni seculari subjecti; si-

em

tuti constitutus in dignitate posset dici exemptus a Jurisdictione Judicis inferioris , quam prius agnoscere debuit: quamvis ipsa dignitas non per Exemptionem , sed sua natura subjectionem illam respuat. Intelliguntur in hac materia per Clericos omnes personæ Ecclesiasticæ, singulari dispositione Ecclesiæ ad cultum Divinum destinatæ, non solum Clerici in majoribus, sed etiam in minoribus constituti, si habeant Beneficium Ecclesiasticum saltem quoad titulum ; aut si gestent habitum & tonsuram , simulque alicui Ecclesiæ deserviant ex voluntate Episcopi ; aut simul versentur in Seminario Clericorum, vel aliqua publica schola , quasi in via ad maiores Ordines 48. ). Item Regulares utriusque sexus , licet sint Laici: sub his comprehenduntur Novitii , Fratres & Sorores tertii Ordinis, si habitum gestent & vivant in communi : Eremitæ in communi viventes secundum modum ab Episcopo approbatum, & ab eodem ad Ecclesiæ cuius-

G dam

---

48. ) Clerici conjugati in nostris partibus  
non sunt in usu.

*De Judicis.*

dam servitium deputati , habitumque  
eremiticum gestantes.

*Sed co-  
ram Ju-  
dice Ec-  
clesiasti-  
co ;*

§. 87. Horum Judex competens  
privative est Ecclesiasticus, Personar-  
um Ecclesiasticarum immunitas Dei ordi-  
natione & Canonicis sanctionibus consti-  
tuta dicitur in Concilio Tridentino 49.).  
Hanc Immunitatem esse Juris natu-  
ralis & Divini, saltem in thesi , passim  
tradunt : aliqui quidem immediate  
deducunt ex Jure Divino , alii saltem  
mediate , & originaliter , quatenus  
Christus præceptum dedit Ecclesiaz  
eximendi Clericos , vel quatenus Sum-  
mo Pontifici dedit potestatem gu-  
bernandi universam Ecclesiam , vel  
quatenus Clericos constituit quasi Pa-  
tres & Magistros reliquorum Fidelium  
cum potestate ligandi & solvendi.  
*Nonne miserabilis insania esse cognoscitur ,*  
*si filius patrem , discipulus Magistrum sibi*  
*conetur subjugare , & ini quis obligatio-*  
*nibus illum suæ potestati subjicere , a quo*  
*credit*

49.) Sess. 25. c. 20. de Reform. C. 8. de  
Judiciis. C. 12. de for. comp. Conc. La-  
teran. sub Leone X. sess. 9. in Bulla  
Reformat. Auth. Caffa. C. de SS. Eccl.  
Auth. statuimus. C. de Episc. & Cler.

credit non solum in terra , sed etiam in cœlis se ligari posse & solvi 50.). Si Clarum in Sacris Literis textum de hac Immunitate non reperimus, habemus tamen ex iis æquitatem & convenientiam , ex qua statuta est talis Immunitas, approbantibus etiam Imperatoribus & Principibus Christianis , qui Immunitatem Ecclesiasticæ libertatis privilegiis multis munierunt 51.). Näm Personæ Clericorum non minus , sed magis sunt sacræ , quam aliæ Deo dicatae res ; Christus autem potestatem in id omne , quod sacrum in sua Ecclesia esset, non Regi aut Cæsari Laico , sed Petro tanquam suo destinato Vicario , ac Apostolis , non Magistratibus secularibus subjecit per verba : *quodcunque ligaveris super terram &c. quæcunque alligaveritis super terram &c. 52.)* : quæ verba Jurisdictionem circa Sacra significant, proin etiam circa sacras Clericorum personas, quæ ex Christi institutione , specialique deputatione & consecratione ad statum ac ordinem

G 2 natu-

---

50.) C. 9. dist. 96.

51.) C. fin. de Reb. Eccles. non alien.

52.) Matth. 16. & 18.

natura superiorem sunt evectæ , con sequenter non subjectæ Jurisdictioni seculari , quæ sua ex natura intra ordinem tantum naturalem concludi tur , nec ferri potest in id , quod na turam excedit.

§. 88. Quamvis Clerici sint in Re publica , non sunt tamen de Re ram Lai publica , neque Cives Reipublicæ , aut membra , sed civibus & membris Reipublicæ æquiparantur quoad fa vorabilia , non autem quoad odiofa. Longe alia est ratio Baptismi , per quem Christianus effectus , manet sub Jurisdictione Principis infidelis , cum non mutet statum suum , nec Divinis ministeriis singulariter dicatus extra hatur a commerciis profanis : per sa cros Ordines autem Clericus ex insti tutione Christi in sublimiorem statum transfertur , vi cuius Clericalis ordo etiam judicat de ipsa potestate Regia , & absolvit pœnitentem Regem de ejus abusu (3.) , vel ligat im pœnitentem. Unde non est paritas cum Patre , qui natura antecedit filium , licet iste in Principem evadens præ ponatur dignitate Patri ; nam digni tas

tas Principis non dependet vel dirigitur ab officio Patris : econtra potestas temporalis regitur & judicatur a potestate Clericali : proin non decet , ordinem Clericalem esse subiectum seculari , quamvis in exterioribus facile primas relinquat Principibus , quorum externa & visibilis potentia in oculis seculi splendidior appareat. Idem tenendum est , si contra Clericos causa temporalis per actionem realem moveatur. Etiamsi enim causa in se sit profana , semper tamen Jurisdictio exerceri debet in ipsam personam Clerici , quæ sacra est.

§. 89. Cum hæc in thesi dicantur , *Nisi ex Incensendum est , Ecclesiæ summos PadultoPontificis.* stores hanc eximendi potestatem ita accepisse , ut tamen in hypothesi variarum circumstantiarum , possint Principibus Laicis aliquid juris indulgere , vel etiam aliquos Clericos hac prærogativa spoliare , sicut etiam Laicos reddunt habiles ad varia jura spiritualia præsentandi , eligendi , decimandi &c. Absque tali dispositione Pontificis , Clerici Immunitati suæ renuntiare non possunt , ne quidem cum jurejurando , quia privatus Jurisdictionem a Christo datam

102      *Sect. I. Tit. VIII.*

Personis sacris, non potest transferre  
in Laicum: nec potest Jus publicum  
mutari privatorum consensu.

*Quid censem  
sendum de con-  
traria consuetu-  
dine?*      §. 90. Si alicubi consuetudo in-  
luit, Clericos actione reali convenien-  
di coram Laico Judice, varii varios  
colores querunt, hanc consuetudi-  
nem cohonestandi. Si bona, de qui-  
bus agitur, annexa habeant singula-  
ria jura, quæ ex Regalibus Principis  
participantur, & speciali concessione  
obtenta sunt 54.) : litem circa ejus-  
modi bona vix Princeps permittet in  
alio tribunali decidi, quam suo, ex  
eadem ratione, qua disceptationes de  
feudo pertinent ad tribunal Domini  
directi : unde Pontifex censetur sal-  
tem tacito suo consensu talem con-  
suetudinem tolerare. Si vero bona,  
de quibus lis oritur, nullo sint affe-  
cta speciali jure ex Regalibus Prin-  
cipis participato, uti sunt prædia rusti-  
ca; tunc plane non video, qua ratio-  
ne excusari hæc consuetudo possit,  
nisi forte ex eo, quod sibi Princeps  
Jurisdictionis hujus exercitium reser-  
vave-

---

54.) Tales sunt in Bavaria Hofmarchiæ,  
quæ annexam habent Jurisdictionem  
bassam a tempore Ottonis Ducis.

vaverit, non permisurus alienationem in Ecclesiam, nisi sub hac conditione. Si vero bona non pertineant stabiliter ad Ecclesiam, vel locum sacrum, aut Ecclesiasticum Beneficium, sed ad Clericum privatum, qui habet bona hæc a Laico, & a quo transibunt iterum ad Laicum; difficulter Judices Laici sibi eripi patientur cognitionem de his bonis, cum ista varietas Judiciorum magnam confusionem pareret in Actis judicialibus circa eadem bona, cum Judices Ecclesiastici se non adstrictos credant ad stylum & consuetudinem Tribunalis Laici, ac proin tale prædium modo his, modo aliis oneribus affectum; modo hac, modo alia prærogativa donatum; modo his, modo aliis obligationibus adstrictum censatur. Si Clericus retento dominio directo bona quædam Ecclesiæ in Emphyteusin tradat, de ipso autem jure Emphyteutico inter Laicos, forte inter duos fratres in Emphyteusi succedentes, lis oriatur: poterit causa deferri ad Judicem Ecclesiasticum, cum res in judicium deducta sit vere Ecclesiastica, seu ad Ecclesiasticum per vincens, & Emphyteuta quodammodo.

G 4

de

do vicem sui domini sustineat : Judex autem Laicus causam ad se pertinere censebit, cum dominium utile , de quo agitur, sit proprium patrimonium Emphyteutæ Laici : qui ex his duobus alterum præveniet, vix alteri cedit cognitionem.

*Singulari* §. 91. Studiosi ac Professores in *Foro gau-* Academiis singulari foro gaudent co- dent Aca- ram Academico Magistratu, Orig- demia nem hoc privilegium habet ex Con- Professo- stitutione FRIDERICI Imperatoris, data res , apud Roncalias anno Domini 1158. & inserta Titulo Codicis *Ne Filius pro patre &c.* ubi statuitur, ne ex Jure Repressalium per id tempus usitato, Studiosi ad Academiam quandam ve- nientes impeterentur pro aliis patriæ suæ Civibus , & a studiis avocaren- tur : pro causis autem propriis ut convenirentur apud Magistrum scho- læ vel Episcopum loci. Fere nus- quam eo tempore in integrum cor- pus scholæ coierant, sed singuli Pro- fessores disciplinas tradebant Audit- ribus suis, nullo invicem Collegii ne- xu conjuncti. Unde mirari licet, multos Autores ex dicta Authentica desumere etiam Jus gladii ad causas Criminales Studiosorum competere Aca-

*De Foro Competenti.* 105

Academiis: quis enim sibi persuadeat,  
Fridericum singulis Professoribus con-  
cessisse jus gladii in suos Auditores?  
Igitur hodie, cum scholarum & Ju-  
risdictionis longe alia forma sit, Aca-  
demiz ea gaudent Jurisdictione,  
quam in fundatione sua acceperunt  
ab Imperatoribus & Principibus loci,  
ubi erectæ sunt. Proin nihil de hac  
Jurisdictione universim statui potest.

§. 92. Ex iisdem Privilegiis desu- *Et subdi-*  
*mi* debet, quam Jurisdictionem Se- *ti,*  
natus Academicus habeat in Typo-  
graphos, Bibliopegos, Bibliopolas,  
aliosque Exercitiorum nobilium Ma-  
gistros pro instructione Studiosorum  
constitutos. Ipsæ Academiz nume-  
rantur in plerisque locis inter Corpo-  
ra Clericalia, cuius autem Jurisdi-  
ctioni subsint Causæ ad totam Uni-  
versitatem pertinentes, desumitur ex  
Fundatione & Privilegiis Pontificiis,  
Cæsareis, ac Principis territorialis.  
Uxores sequuntur forum mariti, etiam  
post hujus mortem, donec vel alii se  
junixerint, vel habitationem mutave-  
rint. Idem dicendum de Liberis, qui  
non specialiter alterius Judicis Juris-  
dictioni subjectam conditionem for-  
tati sunt. Famulitum ipsius Acade-  
mie.

G S      miz.

mix , Professorum & Studiosorum , eodem Fori privilegio gaudet 55.). Neque paritas instituenda est cum Famulis conductitiis Clericorum , nam isti non sequuntur forum Dominorum suorum , nisi specialis consuetudo aut conventio id permittat ; quia nullo iure tale privilegium his concessum videtur. Si Familia Episcoporum ex singulari reverentia alienæ Jurisdictioni non subjacere censeatur 56.) , eadem Consuetudo aut consuetudinis ratio non pugnat pro familia aliorum Clericorum. Famuli Scholarium plenumque peregre cum suis heris adveniunt , & iterum redibunt , consequenter eadem immunitate gaudere debent : hinc etiam solent Matriculæ

Aca-

55. ) Desumitur ex L. 3. princ. & s. ult. C. de Privileg. Scholar. & ex Auth. Friderici Imperatoris , ubi Scholaribus & Professoribus quoad immunitatem fori æquiparantur eorum Nuntii ; id est ad servitia Scholarium & Professorum destinati. Auth. Habita. C. Ne fil. pro patr.

56 ) Pro hac immunitate familie Episcopalis allegari solet C. ult. de offic. Archediac.

Academicæ eorum nomina inseri: aliter se res habet in famulis conductitiis Clericorum.

§. 93. Nunc agendum breviter de *Forum Foro privilegiato & singulari Laico-Privile-  
rum*. Inter hos primam mentionem *giamum*  
merentur Principes: inter hos autem *Princi-  
ceminet Augustissimus Imperator. Au-pum:  
rea Bulla 57.) ait, Imperatorem seu  
Regem Romanorum super causis, pro  
quibus impetus fuerit, respondere  
coram Comite Palatino Rheni, sicut  
*ex consuetudine introductum dicitur.* De  
hac consuetudine varii varie discur-  
runt, quæ Ill. D. de Senckenberg re-  
jicit singulari scripto, cui titulus: *Fa-  
bula Judicij Palatini in Cæsarem, Juris  
publici Doctoribus hactenus credita, dilu-  
cide explicata & destruta.* Hujus loci  
non est, plura differere de Imperato-  
ria Potestate. Si ratione Feudi Impe-  
rialis inter Imperatorem & Vasallum  
Principem controversia ori. etur, neu-  
tra pars refugiet Judicium Parium  
Curiæ juxta Juris Feudalis principia.  
Si ratione hæreditariæ Provinciæ im-  
peteretur Imperator, non erit invi-  
tus, ut coram Tribunalibus Imperii,  
reliquo-*

reliquorum Statuum instar conveniantur, salvis tamen Privilegiis & singularibus Juribus ac Exemptionibus certarum Provinciarum. De Judicio Principum in Causis Civilibus & Feudalibus, quod hodie in usu non amplius est, dictum supra tit. de *Judiciis*. §. 8. seqq.

*Austregarum:* §. 94. In Causis Statuum, Judicium primæ Instantiæ est *Austregarum*, vulgo die *Austräge*, vel *Gentilitiæ*, vel *Conventionales*, vel *Legales*. Singulare hoc forum conceditur Statibus Imperii, ut habeant plures Instantias: cum enim eorum Forum ordinarium sit apud summa Imperii Tribunalia, a quibus appellare non licet, essent sane Status Imperii pejoris conditionis, quam subditi §8.). Ad hos tamen Judges non pertinent Causæ feudales, matrimoniales &c. Ab hac prima Instantia Fori *Austregalis*, transitus

---

58.) Quomodo instituendum sit hoc Judicium, describitur in Ordinat. Jud. Camer. p. 2. tit. 2. seqq. STRUV. Corp. Jur. publ. C. 25. §. 56. seqq. P. FREDERICI de for. comp. p. 3. c. 2. n. 339. seqq. Hodiernum usum exhibit III. DE CRAMER Wetzlarische Nebenstunden part. 33. Art. 5.

situs est ad Forum ordinarium Statu-  
um Imperii, scilicet Cameram Impe-  
rialem, vel Judicium Aulicum Cæsa-  
ris. Cameræ Imperialis Jurisdictione  
fundatur vel per viam *simplicis querelæ*,  
vel per viam *Appellationis*. Per viam  
*simplicis querelæ* forum competens  
est vel ratione personarum, vel ra-  
tione *Causarum*. Ratione Personarum,  
Cameræ Imperialis Jurisdictioni sub-  
sunt in primis ipsi Camerales, ipso-  
rumque Uxores, Liberi, famulitium  
&c. \* dein universim omnes & sin-  
guli Imperio ac Cæsari immediate  
subjecti, nisi ab ejus Jurisdictione  
singulariter sint exempti.

§. 95. *Cause* ad Cameram perti- *Cause ad*  
nent Violatæ Pacis Religiosæ & Pro- *Cameram*  
fanæ 59.), *Cause* fiscales, litigiosæ *pertinen-*  
*pos- tes.*

---

\*) De Foro competenti eorum, qui Vi-  
ennæ apud Consilium Aulicum, vel  
Wetzlariæ apud Cameram litigant, vi-  
deri potest Recess. Imper. edit. noviss.  
p. 4. Zugabe fol. 47. in notis ad Ord.  
Consil. aul. tit. I. §. 8.

59.) FRIDERUS MINDANUS de Proseßib.  
lib. I. c. 28. n. 4. putat, ad hoc ut ex  
Constitutione Religionis agi possit in

110      Sect. I. Tit. VIII.

possessionis, Pignorationum, Arrestorum, ex Lege Diffamari: Causa denegata vel protractæ Justitiæ, Privilegii Cæsarei violati, Mandatorum pro relaxando Juramento ad effe. Etum agendi: Commissiones pro recipiendis testibus ad perpetuam rei memoriam: Causæ ex edicto novi operis nuntiationis: Causæ viduarum, pupillorum & miserabilium: Compromissorum, si a laudo reductio petatur: Causæ in quibus Mandata sine *Clausula* decernuntur, præsertim in famosis quatuor casibus, I. si id quod fieri jubetur, certo jure præceptum; aut quod fieri prohibetur, certo & explorato Jure vetitum est. II. Si supplicanti gravamen inferretur, postea non reparabile. III. Si factum pugnet contra utilitatem publicam, & tendat ad publicam perniciem.

---

Camera, necesse esse, ut ambæ partes sint status Imperii, vel nobiles Imperio immediate subjecti. sed JACOB. BLUMEN Process. Camer. tit. 28. n. 76. seq. ostendit, in Actione Pacis Religiosæ solam qualitatem Causæ sufficere ad fundandam Jurisdictionem Cameræ, nea requiri immediatatem personarum.

## *De Foro Competenti.* III

ciem. IV. Si negotium ab periculum moram non ferat 60. ). Constitutio-nes Imperii singulariter cauent, ne hæc Mandata facile concedantur sub-ditis contra Magistratus suos 61. ). Denique ad Cameram fiunt Appella-tiones ab iis, qui per sententiam Ju-dicum Cameræ immediate subjecto-rum gravati sunt. De his Appellatio-nibus redibit sermo. Cum Camera concurrentem Jurisdictionem habet Consilium Aulicum Cæsareum (*Reichs Hoff-Rath*), daturque locus præven-tioni, ita ut coram eo causa disce-ptanda sit, coram quo primum lis cœpta fuit per citationem legitime in-sinuatam. Privative autem ad hoc Ju-dicium pertinent Causæ Regalia Feu-da concernentes, Concessiones & Confirmationes Privilegiorum, Con-cessio veniæ etatis, Restitutio famæ,

Causæ

---

60.) Plures alios Casus, in quibus Man-data S. C. decernuntur, recenset MIN-DANUS lib. 2. de Process. c. 11. seqq.  
RODING lib. 7. Pandect. Camer. tit. 12.  
KNIPSCHILD de Jur. Civ. Imper. I. 2.  
c. 33. n. 147.

61.) Recess. Imp. ann. 1594. §. 79.

112      Sect. I. Tit. VIII.

Causæ Criminales Statuum Imperii  
Legitimationes &c.

**Cause**      S. 96. Post explicatas Causas Fori  
**mixti Fo-** Ecclesiastici & secularis, dicendum de  
**ri:**      **Causis Mixti Fori**, quæ in Ecclesiasti-  
co & seculari foro agitari possunt, ita  
ut præventioni sit locus 62.). Multi-  
ta crima sunt mixti fori, Usura,  
Blasphemia, Adulterium, Incestus,  
Sodomia, Sacrilegium, Sortilegium,  
Concubinatus, Polygamia, Assassina-  
tus, Falsificatio Literarum Apostoli-  
carum &c. 63.). Præter Crimina sunt  
Causæ quædam mixti fori, uti com-  
pellere ad observandum Juramentum  
promissorium, ad implenda sponsalia;  
decernere contra detentores, vel ad-  
ministratores rerum Ecclesiæ: exequi  
ultimas voluntates ad causas pias:  
removere ea, quæ bonis moribus &  
Religioni adversantur, E. G. prohi-  
bere

---

62.) Valde impropre dicuntur causæ  
mixtæ, quarum cognitio cum jure  
præventionis pertinet ad duos Judices  
seculares, aut duos Ecclesiasticos, ha-  
bentes Jurisdictionem concurrentem, uti  
habent Judex loci contractus, & Judex  
Domicilii.

63.) Plura recenset MARCA de Jurisdict.  
p. 2. c. 7. seqq.

bere & supprimere libros noxios, prohibere subditis accessum ad Conciones hæreticorum. Potest Judex Ecclesiasticus in Causis mixti fori non tantum ad Censuras & pœnas spirituales contra Laicos procedere, sed etiam ad temporales, citra mortem tamen & sanguinis effusionem 64.) : nam pœnis Ecclesiasticis subjici possunt Laici propter illa quoque crimina, quæ privative pertinent ad forum seculare : Jurisdictio autem Judicis Ecclesiastici quoad mixti fori crimina & præventionem operatur, ut Judex Ecclesiasticus excludat Judicem secularem præventum, consequenter easdem possit pœnas infligere, quas infligeret Judex secularis, excepta pœna mortis, & effusione sanguinis. Præventio inducitur per solam citationem; habet autem effectum solummodo quoad causam specialem, ad quam dicendam citatur Reus, non vero quoad alias separatas. Si quis usus fuerit Remedio *L. Diffamari*, diffamans non tenetur

H agere

---

64.) Conc. Trident. sess. 25. c. 3. de Reformat.

*De Judiciis.*

agere vel accusare coram Judice, coram quo diffamatus eo Remedio usus est, sed potest alium competentem adire, intra terminum tamen sibi praefixum. Idem videtur locum habere in Remedio *L.* Si contendat.

*Personarum miserabilium:*

§. 97. Insuper singularis Fori privilegii habent Personæ miserabiles: Quodsi pupilli vel vidue, aliique fortunæ injuria miserabiles, judicium nostræ Serenitatis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt: cogantur eorum Adversarii examini nostro sui copiam facere 65.). Hoc privilegio si ejusmodi personæ utantur, & mox ad summum Tribunal Adversarium suum trahant, excipere iste non valet de incompetentia fori, nec opponere beneficium primæ Instantiæ. Camera quidem Imperialis in prima Instantia ejusmodi personis non decernit Processus, nisi in casu denegatæ Justitiæ 66.). Principes autem Germaniæ earum personarum causas mox ad supra-

---

65.) *L. un. C.* quando Imper. int. pupill. An privilegiato foro personarum miserabilium, gaudeant etiam Virgines, vid. SCHILTERUS ad Pandect. Exercit. 13. thes. 21.

66.) *GALL. lib. I. observ. I. n. 40.*

prema sua Tribunalia in prima Instantia possunt admittere , & hac ratione satisfacere Constitutioni CONSTANTINI. Etiam Jus Canonicum ejusmodi Personis singularem favorem præstat, ut Adversarium Laicum etiam in Causa seculari possint trahere ad forum Ecclesiasticum , si per Judicem secularem suam non possint Justitiam obtainere 67.) : nihilominus Pontifex admisit recursum ad forum Ecclesiasticum Reginæ Viduæ bonis dotalitiis spoliatae , in Possessorio , exceptionibus Adversarii in Petitorium rejectis , quamvis non constaret , Judicem primæ Instantiæ fuisse requisitum , & in exhibenda Justitia negligentem 68.). Recursus iste ad forum Ecclesiasticum vix hodie locum habebit , cum Judices seculares se jacent promptiores ad Justitiam administrandam , quam vulgo censeantur esse Judices Ecclesiastici : sumptus etiam non minores in his , quam in illis Tribunalibus fieri debeant.

H 2      §. 98.

---

67.) C. 11. de for. compet.

68.) C. 15. ibid.

*Forum Militum* §. 98. Forum etiam singulare or-  
dinariū habent Milites, qui cum in  
Criminalibus, tum Civilibus Causis  
personalibus coram Magistratu suo  
bellico conveniuntur, quamdiu mi-  
litiam sequuntur, etiam circa Causas  
jam ante militiam in judicium dedu-  
ctas, ut multi tenent. Quando au-  
tem actione reali de bonis vel etiam  
de feudo conveniuntur, militaris Ma-  
gistratus autoritatem suam interpo-  
nere non potest. Hæc Militaria Pri-  
vilegia dependent ex Ordinationibus,  
& Consuetudinibus cuiuslibet Pro-  
vinciæ vel Principis, quales pluri-  
mas exhibit LUNIG in Corpore Juris  
Militaris tribus partibus distincto  
69.).

*Forum Extraordinarium Prorogationis:* §. 99. Hucusque actum de Foro  
Ordinario, Communi & Singulari.  
Jam de Extraordinario, cuius memo-  
rabilis species est Forum Prorogationis,  
quæ est extensio jurisdictionis ad per-  
sonas, causam, tempus vel locum,  
in

---

69.) Præcipue legi pro nostro instituto  
meretur Introductio ad Processum Mi-  
litarem fol. 1412. seqq. demum in ul-

in quas & quando, ac ubi iure alias non competit, consensu earundem personarum facta. Clerici in se prorogare Jurisdictionem Judici Laico nequeunt, etiam cum sui Episcopi licentia 70.) : imo etiam Judici Ecclesiastico alieno prorogare Jurisdictionem in se non possunt, nisi cum consensu proprii Ordinarii 71.). Unde infertur, etiam Exemptos, & Sanctæ Sedi immediate subiectos non posse prorogare Jurisdictionem Episcopo, in cuius Diœcesi sunt, saltem pro foro contentioso. Quoad Laicos hodie prorogationes Jurisdictionis passim non tolerantur, quia singuli Princes exercentes Jurisdictionem patrimonialem non concedunt, ut sui subditi prorogent Jurisdictionem Judicis alieni territorii: Judices autem inferiores nolunt permittere prorogationes sub eodem Principe, quia obtinent ex Judiciis emolumen-

H 3 ta

---

tima appendice fol. 599. recensentur

Autores de Re militari scribentes.

70.) C. 12. de for. comp.

71.) C. 18. ibid.

ta & sportulas 72.). Prorogatio que ad locum & tempus in Delegatis facile potest admitti ex consensu libero partium, in quorum favorem clausula de certo loco & tempore Delegationi adjecta censetur. Singulariter notatur, non valere prorogationem exemptorum, qui in favorem sui Domini exempti sunt ab aliquo Judicio. Sic passim Imperatores concesserunt, & adhuc concedunt Privilegia Statibus Imperii, Principibus vel Comitibus, ut eorum subditi coram alio Tribunal, forte Provinciali, aut Rotwiliensi in jus non vocentur. Quod si vocatus contra privilegium compareat, ex tali consensu partis non prorogatur Jurisdictio in praetudicium domini facta: unde eum a tali Judge avocare, aut si avocationi locus non detur, appellare poterit 73.).

*Continen-*      §. 100. Præter Forum Delegationis,  
*ti & Cau-*      de quo supra dictum; & Forum Re-  
con-

72.) CASP. MANZIUS Decis. Palat. quæst.  
97.

73.) GAIL lib. 1. obs. 40. n. 2. seq. Prae-  
judicia talis Appellationis extant apud  
GYLMANN Symphor. tom. 1. p. 2. tit.  
II. vot. 2. & 6.

conventionis , de quo infra ; ex-  
traordinarium est Forum *Continen-*  
*tie Causarum.* Continentes cau-  
fas dividi non debere , sed in eo-  
dem Foro & ab eodem Judice tra-  
ctandas esse , in utroque Jure decidi-  
tur 74.). Continentes seu conne-  
xæ causæ sunt , quæ communem ha-  
bent liquidationis & discussionis qua-  
litatem ac rationem , propter quam  
una sine altera plene ac liquide cog-  
nosci ac definiri nequeat. Triplici  
respectu continentia causarum dici-  
tur , nimirum vel Personarum , vel  
Rerum , vel Actionis : si nempe ab  
uno debitores diversi fori conveni-  
antur , uti plures Contutores ; si res  
ad eandem hæreditatem pertinentes  
in diversis territoriis sitæ sunt ; si post  
decisam causam Possessorii agatur in  
Petitorio : utrumque enim fieri de-  
beret coram eodem Judice , nisi for-  
te Clericus egerit & obtinuerit con-  
tra Laicum in possessorio coram Ju-  
dice seculari ; postea autem conve-

H 4 nia-

---

74.) L. 10. C. de Judiciis. C. fin. de Præ-  
script. Deputatio Spiræ ann. 1600. §.  
23. & 24.

natur tanquam reus in Petitorio, Nihilominus in Camera Imperiali prouocatur in Possessorio in causa eorum, qui in Petitorio gaudent in prima Instantia privilegio Austregarum. Et in Romanis Dicasteriis agendum necessario est in Petitorio, si per Appellationem eo delatum est Possessorium.

*Quæ non  
nunquam  
separan-  
tur.*

§. 101. Connexæ causæ separantur, si Judex non est capax Jurisdictionis circa utramque. Sic si Causa Spiritualis incidat apud Judicem secularem, remittenda est ad Ecclesiasticum, civili Judicio interim pendente 75.). Quamvis autem Judex Ecclesiasticus habilis sit ad causam secularem incidentem dijudicandam, quæ juxta Leges communes separari non deberet: nihilominus, quasi iure retorsionis passim Judices seculares sibi sumunt Causas seculares decidendas, licet connexa causa spiritualis jam pendeat coram Judice Ecclesiastico. Sic dum Judex Ecclesiasticus discutit causam divortii ratione adulterii, Judex secularis ad se pertinere cre-

---

75.) Exemplum extat in C. 5. qui filii sint legit.

redit causam lucrandæ dotis. Complex Clerici in crimine potest juxta communiorem puniri etiam a Judice Ecclesiastico : si autem Judex Laicus complicem ad suum tribunal trahat, cavendum est, ne diffametur, aut simul condemnetur Clericus non auditus. Si plures Hæredes, Tutores, Curatores vel Executores testamenti conveniuntur, aut disceptant super divisione hæreditatis, liquidatione Rationum &c., interque eos est Clericus, omnes pro eadem causa communi conveniendi sunt coram Judice Ecclesiastico, sicut etiam aliis privilegiis Clericalibus gaudent consortes litis, inter quos est Clericus : & Major habens rem communem cum Minore, ratione connexionis gaudet restituzione in integrum: & universim immunitas concessa uni ex sociis, communicatur etiam alteri in causis individuis.

§. 102. Quarto loco dicendum *Multi* promisi de Foro respectu certarum sortiuntur causarum, quas strictim numero. *Forum* Ad forum Ecclesiasticum, qualiscun- *intuitu* que sit Actor vel Reus, pertinent *Causæ sa-* *Causæ sacre*, quæ spectant ad Fidem, cræ,

Sacmenta , absolutionem a Votis ;  
 Beneficia Ecclesiastica , Observatio-  
 nem Festorum , Sacrificium Missæ ,  
 Ritus sacros , Irregularitates , Censu-  
 ras , Matrimonii valorem aut disso-  
 lutionem , Sponsalium obligationem .  
 Unde Causæ matrimoniales non re-  
 cipiuntur in Camera Imperiali , ne-  
 que per viam simplicis querelæ , ne-  
 que per Appellationem 76.). Apud  
 Catholicos ad has causas decidendas  
 erecta sunt Consistoria : ad horum  
 imitationem etiam Protestantes acce-  
 dunt ad sua Consistoria . Nam vi  
 Pacis Westphalicæ 77.) toleratur in  
 Germania , ut Acatholici circa suos  
 subditos Acatholicos usurpent exerci-  
 tium Jurisdictionis Episcopalis , cum  
 contra illos Jurisdictionis Catholicorum  
 Episcoporum extra suum territorium  
 suspensa sit , nisi ubi ista exercita fuit  
 Anno 1624.: quæ difficultas sit circa  
 Principes Protestantes , alibi dictua-  
 est 78.). Deferuntur tamen ad C  
 meram

76.) Conc. Ord. Cam. p. 2. tit. I. §.  
 ult. GAIL lib. I. obs. 112. n. 17.

77.) Art. V. §. 48.

78.) De Jur. Ker. Eccles. sect. II. §. 371.  
 not. 81.

meram ea , quæ sunt circa Matrimoniū mere temporalia , uti , an supposito valore matrimonii iste sit horum parentum filius : qua pœna sint afficiendi , qui clandestine contraxerunt , vel Sponsalia nolunt implere , de quorum valore jam cognovit Judex Ecclesiasticus : an dos sit illata : quid circa ceremonias extrinsecas sit observandum , circa convivia , pompam nuptialem , dotem , hæreditatem , sumptus &c. Causæ matrimoniales infidelium pertinent ad Judicem Laicum. Item ad solum forum Ecclesiasticum pertinent Causæ temporales inter Clericos , vel contra Clericum agitatæ ; uti etiam crimen hæresis & Simoniz quoad cognitionem ; puniri tamen id etiam potest a Judice Laico. In dubio , an Reus sit Clericus , an gaudeat fori privilegio , utrum res sit Deo sacrata , utrum Clericus sit Vasallus , utrum Decimæ sint secularizatae , cognitio pertinet ad Judicem Ecclesiasticum 79.)

§. 103. Causæ profanæ inter Laicos , vel contra Laicum motæ , sub am Pro-  
funt

---

79.) C. 12. de Sent. Excom. in. 6.

fanæ.

sunt Jurisdictioni Judicis Laici : hu-  
jus tamen defectum ex causa non  
administratæ Justitiæ posset ac debe-  
ret supplere Judex Ecclesiasticus 80.) :  
vicissim tamen Judex Laicus non po-  
test supplere defectum Judicis Eccle-  
siastici 81.). In multis locis ex Pri-  
vilegio Pontificis possunt seculares  
Principes ob negligentiam Ecclesiasti-  
corum coercere Clericos dissipatores  
bonorum Ecclesiarum , vel oppressores  
infirmorum 82.). Cognitio de Pos-  
sessione rerum spiritualium juxta  
principia Juris Canonici spectat ad  
Judicem Ecclesiasticum 83.). Praxis  
tamen passim habet, quod tales Cau-  
se etiam apud Laicos contra Laicum  
possint agitari , si quaestio sit de re-  
tinenda possessione contra turbato-  
rem , & nihil proprietatis admisce-  
atur: sicuti etiam multi Laici sibi usur-  
pant

80.) C. 6. 10. de foro comp. C. 13. de  
Judiciis.

81.) C. 17. de Judiciis.

82.) EMAN. GONZALEZ in cit. C. 17.  
Concord. Bavar. tit. I. §. quod si Præ-  
lati.

83.) Clemens. un. de Caus. poss. & propr.  
item Clem. un. de Sequestrat. poss. &  
fruct.

pant cognitionem de nudo facto circa rem spiritualem , absque admixta quæstione Juris , E. G. an Matrimonium sit contractum? an Beneficium sit collatum? Multi tamen hanc præxim non approbant. De Foro in Causis Feudalibus alibi dictum 84.). Forum Judicis Ordinarii locum habet, si Vasallus litigans se talem esse negat , & Dominum Feudi non agnoscit : vel si actio non est super jure feudali, licet circa rem feudalem agatur , uti actione pignoratitia : vel si Dominus Feudi Vasallo ex rationabili causa sit suspectus. In multis locis Judicium Parium Curiaæ in desuetudinem abiit.

S. 104. Ut quis teneatur Forum *Ad forum* Judicis citantis agnoscere , requiritur rum competiam , ut locus honestus, tutus, & petens resecurus ad litigandum assignetur, quiritur ut non sit periculosum eo ire , locus homorari & redire , ita ut quis tutus nestus & sit non tantum in loco Judicii, sed *tutus*. etiam in via : nec semper sufficiunt literæ securitatis & salvi conductus , quia membrana , fragilis est cautio contra

contra inimicos : extenditur hoc ad locum non tutum ratione morbi contagiosi, vel aeris noxii : item non solum ad unum, vel utrumque litigantem, sed etiam ad testes, advocates, Procuratores, famulos &c. 85.).

*Optio penes Actorum ad quod forum Actor trahere possit rem est, Reum. Si iste plures habeat Judices quem velit adire competentes, optio est penes Actorum, coram quo Judice velit agere. Si adeat incompetentem, datur Reo exceptio Fori declinatoria. Jura tamen Civilia & Canonica carent, ne, qui se conveniendum prævidet, rem in judicium deducendam dolose alienet in alium, cuius forum non sine gravi suo damno sequi poterit Actor. Unde Edictum Proconsulis de Alienatione Judicii mutandi causa. De hoc pauca quidem, quæ tamen pro intentione nostra sufficere possunt, dicta sunt alibi 86.); ubi de in integrum restituzione*

---

25.) Præter alios Textus Juris, agit de hac re C. 4. ut lite non contest. C. 47. de Appellat. & Interpretates passim, propositum FELINUS ad cit. C. 4.

36.) De Juc. Ror. Ecol. sec. IV. §. 636

tutione contra ejusmodi alienationes  
actum est 87.).

## TITULUS IX. DE TRANSACTIONIBUS.

*Conf. Decretal. Lib. I. Tit. 36.*

### §. 106.

POSTQUAM compertum habemus, *Transac-*  
*coram quo Judice conveniri Ad- dio,*  
versarius possit; non tamen temere  
tentanda est periculosa Processus Ju-  
diciarii alea: indaganda potius via  
pacifice componendi Controversiam.  
Familiaris modus sopiendi litem, est  
per *Transactionem*, quæ dicitur Con-  
venta Decisio rei dubiæ & contro-  
versæ, aliquo dato, aliquo retento:  
seu

---

87.) De Foro competenti. ider possunt  
omnes Interpretes Juris Canonici &  
Civilis in utriusque Juris Titulos Con-  
cordantes. Praeter hos loco plurimo-  
rum possunt esse FELICIANUS de Oliva  
de Foro Eccles.

P. MELCHIOR FRIDERICH Tract. de Fo-  
ro Compet.

Card. DR LUCA de Jurisdict. & Foro  
Compet.